



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 156. Quinam dispensare possint in denuntiationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

ubi tamen adesset concursus populi, ferent, non esse mortale, teneant Sanch. *d. 6. num. 9.* Laym. *n. 10.* Castrop. *nu. 4.* & plures apud illum. De cetero, ubi foret de bono communi vel speciali contrahentium, matrimonium statim contrahi, nec esset recursus ad Ordinarium, qui dispensaret in denunciationibus, poterit iis omissis contrahi matrimonium sine omni culpa; cum leges ecclesiasticæ non censeantur in eo rigore obligare. Laym. *cit. num. 10.* Castrop. *loc. cit. num. 5.* Sanch. *l. 3. d. 10. num. 27.* citatis pluribus aliis; adeoque multo magis id poterit metu mortis, dum hic non incurteretur in contemptum clavium. Barb. *in c. 1. Sess. 24. Trid. n. 30.* cum Sanch.

Quest. 156. Quinam dispensare possint in denunciationibus.

1. Resp. primò: Parochus non potest dispensare in hoc; jure siquidem antiquo, ut constat ex *c. inhibito, num. 1.* id non poterat. Ergo, cum Trident. in hoc jure antiquo nihil mutaverit, neque modò id poterit. Laym. *loc. cit.* Gutt. *de matrim. c. 56. num. 12.* Sanch. *l. 3. d. 7. num. 37.* Pirh. *num. 29.* Castrop. *p. 13. §. 4. num. 3.* qui etiam id procedere ait, ubi adesset suspicio (intellige prudens) impediendi malitiosè matrimonii, si fierent denunciationes. Posse tamen Parochum in casu necessitatis per episcopalem interpretari & declarare legem illam hic & nunc non obligare, v. g. si in articulo mortis concubiniarius vellet contrahere matrimonium cum sua concubina, censet Pirh. *loc. cit.* citato Tanner. *d. 8. q. 2. du. 6. num. 132.* quod ipsum consequenter poterit, impendente aliàs gravi malo; si enim potest eas in eo casu omittere, ut Sanch. Cönnick. &c. utique id aliter non poterit, quam judicando, præceptum illud hic & nunc non obligare, seu Ecclesiam noluisse hic & nunc illud obligare, quod est uti episcopali.

2. Resp. secundò: Tametsi jure antiquo in his denunciationibus, quia præcepta in Concilio generali Lateranensi (in cujus lege regulariter dispensare nequit Episcopus) non possit dispensare Episcopo, hanc tamen potestatem dispensandi concedit Episcopo Tridentinum hisce verbis; nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut denunciationes omittantur. Nomine verò ordinarii veniunt hic quoque Abbates similisque Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem (intellige cum territorio) habentes. Castrop. *loc. cit. §. 4. nu. 1.* Navar. *sub tit. de sponsal. conf. §. Sanch. d. 7. num. 4.* Rodriq. *Tom. 1. sum. c. 217. num. 4.* & in specie Vicarius Generalis Episcopi. Et quidem id eum posse vi Vicariatus sine speciali commissione Episcopi, tenent Sanch. *loc. cit. num. 10.* Cön. *loc. cit. du. 6. num. 55.* Riccius *in pr. decis. 259.* Gutt. *c. 56. num. 11.* Hurr. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *num. 2.* contra Henriq. *l. 11. de matr. c. 5.* Pont. *l. 5. c. 3.* Menoch. *conf. 69. num. 55. vol. 1.* Spin. *in specul. testam. gl. 15. num. 29.* &c. requirentes in eo speciale ad hoc mandatum.

3. Resp. tertio: Episcopi dictique Prælati delegare quoque possunt hanc potestatem dispensandi in denunciationibus. Sanch. *num. 20.* Spino *loc. cit.* Gutt. *num. 13.* Cön. *loc. cit. num. 55. conclus. 3.* Castrop. *num. 4.* & alii contra Menoch. *loc. cit.* Siquidem hæc potestas non conceditur ordinariis, quatenus personæ singulares sunt, ut propterea electa videatur industria personæ (quod est fundamentum Menochii) sed quatenus habent jurisdictionem

ordinariam, ac proinde delegari potest. Sed neque ex eo censetur electa industria personæ, ejusque prudentiæ commissum, quod negotium sit arduum (quales censentur causæ matrimoniales) si fiat delegatio personæ incognitæ & indeterminatæ, uti contingit in præsentibus, dum ea sit omnibus ordinariis, tam præsentibus quam futuris. Et sic specialiter Vicarius Episcopi Generalis poterit hanc potestatem dispensandi delegare; cum habeat jurisdictionem ordinariam, idemque cum Episcopo tribunal; & licet non possit alium Vicarium constituere, potest tamen unam alteramve causam delegare alteri. Et ita tenent Sanch. *d. 7. n. 21.* Cön. *n. 55.* Gutt. *n. 13.* Castrop. *n. 4.*

Quest. 157. An & qualis causa, & qualiter cognoscenda requiratur ad dispensandum in denunciationibus.

1. Resp. ad primum: Ordinarius nequit in iis dispensare sine justa causa; cum id à Concilio committatur illius prudentiæ & judicio, quæ verba arbitrium prudentiale, & ratione regulatum important, ut Menoch. *de arb. l. 1. q. 8. num. 26.* quod nequit consistere absque justæ causæ cognitione. Menoch. *conf. 69. num. 62.* Sanch. *l. 3. d. 8. n. 1.* Gutt. *c. 57. num. 1.* Castrop. *cit. §. 4. num. 5.* qui etiam cum Sanch. *num. 2.* censet ordinarium sine causa permittentem omitti omnes denunciationes peccare mortaliter; quia potestate sibi concessa abutitur.

2. Resp. ad secundum: Concilium quidem unicam causam dispensandi allegat, nimirum suspicionem de matrimonio malitiosè impediendo, si tot vel una denunciatio præcesserint; sufficit tamen etiam quævis alia causa, quæ juxta arbitrium prudentum justa habetur. Tales autem causæ v. g. sunt infamia, ut si viventes in concubinato, haberi pro veris conjugibus publicentur. Castrop. *nu. 8.* Pirh. *num. 29.* Cönnick. *du. 6. num. 56.* Disparitas conditionis, unde irrisio, pudor, & confusio, si denuntientur v. g. senex cum juvencula, dives cum pauperula, valde nobilis cum rustica. Sanch. *d. 9. num. 3.* Spino, *num. 18.* Castrop. Pirh. *ll. cit.* Damnum & periculum animæ, sive proprium sive alienum. Sic statim jungenda matrimonio meretrix, ut statim à statu malo desistat. Item turpiter inter se viventes. Castrop. *loc. cit.* Bonum animæ, ut dum ducitur concubina in articulo mortis ob securitatem decedendi in bono statu; item legitimatio prolis. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *d. 9. n. 9.* Periculum fornicationis, aut dissolutionis sponsalium ob dilationem nuptiarum, dum instat tempus Adventus, vel Quadragesimæ, quo prohibentur nuptiæ benedicti. Zirola. *prax. Episc. p. 1. v. matrimonium. §. 9.* Sanch. *d. 9. num. 14.* Castrop. Pirh. *ll. cit.* Favor & honor magnatibus exhibitus, dum ab onere denunciationum liberantur; tum quia eorum conjugia non solent esse ignota; tum quia favor hic sæpe cedit in bonum Ecclesiæ. Cön. *loc. cit. num. 57.* Castrop. Pirh. *ll. cit.* Ac denique quæcunque notabilis contrahentium commoditas, sive temporalis, sive spiritualis præstat justam causam omittendi denunciationes, ut Castrop. dicens, sic facile colligi ex DD. hic relatis.

3. Resp. ad tertium: Obligatur ordinarius, antequam dispense, diligenter investigare, an causa allegata sit vera, tum etiam, num contrahentes aliquo